

Johann Bacmeister

**Programma Quo ad Piam Pollincturam seu Funebrem curam Quam Viri ... Dn.
Nicolai Ridemannii, S. S. Theol. Licentiati & in Ecclesia Mariana Verbi divini
Praeconis fidelissimi Piis manibus Vidua, Liberi, Frater & Sorores moestissimi
adornatam cupiunt Omnes omnium ordinum Academiae Cives officiose
invitantur**

Rostochii: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn77577507X>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.

in

N. R i d e m a n n .

Rostock, 1662.

47



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77577507X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77577507X/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77577507X/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77577507X/phys_0003)

DFG

PROGRAMMA

*Quo
ad*

Piam Pollinctoram seu Funebrem curam

Quam

*VIRI PLURIMUM REVERENDI, EXCEL-
LENTISSIMI & CLARISSIMI*

DN. NICOLAI RIDE MANNI.

S. S. Theol. Licentiati & in Ecclesiâ Ma-
rianâ Verbi divini Präconis fide-
lissimi

Piis manibus

Vidua, Liberi, Frater & Sorores
mœstissimi adornatam cupiunt

Omnes omnium ordinum Academiæ
Gives officiosè invitantur

et

RECTORE

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

JOANNE BACMEISTERO,

Med. D.P.P. & Poliatro.

ROSTOCHII,

Literis JOHANNIS KILI, Anno M DC LXII.



Heophrastum morientem accusasse Naturam ferunt, quod Cervis & Cornicibus, quorum id nihil interesset, diuturnam, hominibus, quorum maximè intersuisset, tam exiguam vitam concessisset: qui si ætate procedere longius potuissent, futurum fuisse, ut omni perfecta disciplina, omnibus artibus hominum vita erudiretur. Praæclara sanè & homine Philosopho non indigna sententia; quæ iniquum censebat, bruta animalia, ventrî tantum nata, meliori conditione esse, quam hominem, quem ad rerum coelestium ac divinarum contemplationem erectum, sed multis difficultatibus terrenis impeditum par erat mortalitate prius non defungi, quam animi ingeniique solertia ex impedimentis omnibus elutatus ad perfectionem sui quodammodo pervenisset. Est igitur vehementer dolendum, quoties in medio curriculo singularis industria è vita discedere jubentur, quorum præstantia societati communi magno erat & adjumento & ornamento futura, qui non tantum verbum DEI nobis locuti, sed & bono exemplo faciem pietatis prætulere, fideles scilicet Ecclesiæ Doctores, qui in coelestem evocati patriam cum inenarrabili gaudio nostrum prætolantur adventum: Sed dolendum dico, non etiam natura novercæ nomine traducenda, & Deus ipse insi-

insimulandus, cui constant factorum suorum & sapientissimæ & justissimæ rationes; Quamvis enim de vitæ humanae definito & inevitabili termino per multos annos Ecclesiam Christi disputatio valdè exercuerit; varieque quæstiones de mortis genere & hora inter doctores sint exortæ; Tamen rem hanc ita comparatam animadvertimus, ut facile hic vel in Scyllam Epicureæ temeritatis, vel Charybdim stoicæ necessitatis possimus immergi. Nam reperiuntur, qui nescio quo mentis tumultu, cum Philosopho Ægyptio de quo Busbeq. legat. Turcic. Epist. I. in Providentiam divinam injurii, hominum mortem, temerario cæcæ fortunæ impetu ferri aut certè à solis naturalibus causis nullius sublimioris principii interventu pendere autumant, quos tamen Anshelmus his refutavit verbis. *Sicut nihil factum est nisi per essentiam creatricem, ita nihil sit, nisi per ejusdem potentiam serpatricem.* Alii absurditatem primi dogmatis videntes, ad Fatum confugere maluerunt, quamquam sensu non uno. In summam rem contracturus Joannes Picus Mirandula, quatuor de fato facit sententias; Sunt enim qui fatum ipsam naturam esse dicunt, ita ut quæ electionis & casus, extra fatum faciant. Hæc significatio Poetæ seculo obtinuit, quum Didonem, quæ se sponte occiderat, fato mori negat: Sunt qui fati nomine accipiunt æternam seriem causarum necessariæ nexarum, ubi causa ex se causam gignit, & ea est, juxta Epicetti definitionem, ex omni æternitate fluens veritas sempiterna: sed & absoluta insuper, sub quâ necessariâ causarum connexione, DEUM ipsum nexibus & spinis implicat: Sunt, quibus fatum ex siderum positione: Sunt quibus è numeris Platonicis: sunt quibus è divini consilii executione, hac notatione: Fatum est, quod DEUS fatatur, describitur. Sed & Seneca (quod à Lipsio fati stoici defen-

A 2

fen.

fensore neglectum mireris) ipsum Deum fatum vocita
l.3.de Benefic. Quæ varia vocis acceptio facit, ut *Augustinus*,
omnia fieri fato, & nulla fieri fato scribat *l.s. d. Civit. Dei*
cap.8. Nos cum magno seculi hujus Theologo de totâre
sic sentimus. Numerum dierum nostrorum apud Deum
esse certissimum, & ab ipso præfixum, quâ mortis horam
quâ mortis genus, sed id non absoluto, causas secundas
omnes excludente, decreto. h.e. Si fatus nomine venit ipse
DEUS & divina providentia, quæ inferiores causas tûm
naturales tûm voluntarias non excludit, sed subordina-
tas habet, fato sive divina providentia omnia gubernari
largimur: Sin verò fatum omnium causarum connexio-
nem interpreteris, quâ Deus ipse necessitati subjiciatur, ut
Sextus Tarquinius edocetus erat, vel à stellarum cursu vel Pla-
tonicis numeris dependere dicas, tale fatum tam impro-
bamus quam quod maximè. Sed nec de his ut prolixio-
res simus chartæ angustia permittit. Præsens casus, præ-
maturus quidem & multis nominibus acerbis divina ta-
men voluntate præfinitus, Viri Plurimum Reverendi, Ex-
cellentissimi & Clarissimi Dn. NICOLAI RIDEMANNI,
Sac. S. Theol. Licent. Ecclesiaz Marianaz apud nos Diaconi
vigilantissimi, amici ac Fautoris nostri olim fidelissimi
nunc eheu! desideratissimi obitus nobis vitæ hujus fugaci-
tatē atque brevitatem ob oculos ponit. Graves utique,
nec disimulo, obversantur animo curæ, sive præsentia-
respiciam & amissos tot præclaros viros recorder: sive
futurorum meditationem ingrediar & præter repetita-
toties Ecclesiaz Vulnera, graviorem indies Ecclesiasticæ
administrationis curam casusque temporum quibus par-
tim exhausti sumus, partim exauriendi, nisi DEUM pla-
caverimus, videmur, animo & cogitatione mihi propo-
nam. Manet quidem, manebitque immobili fundata-
fir.

firmitudine Ecclesia, neque deficiet in terris pusillus li-
cet, invictus tamen grex ovium & pastorum, cuius supre-
mus Pastor CHRISTUS est: sed illa fiducia non adimere
nobis curam debet omnium temporum piis communem,
quâ vel repentinâ, vel crebras fidelium antistitum mortes
inter eas us omiosos, id est, Iram Dei minitantes haberi
fas est. Expendendum id, non magis mea oratio, quam
desiderium optimi hujus pie defuncti DN. RIDEMAN-
NI nostri, cuivis dabit. Interim loco solatii memoria
virtutum ejus esto, quæ & notiores sunt, quam ut hic re-
censeri, & ampliores quam ut angustiâ unius paginæ ar-
ctari debeant. Quamvis autem rectè & verè beatus Au-
gustianus scribat, Animam in societatem fidelium & casta-
rum receptam laudes nec curare nec querere humanas,
cum in requie & beatitate sit, ubi neque dolor aliquis
eam cruciat, neque laudatio humanâ afficit: Tamen ma-
gnæ & graves causæ sunt, ob quas memoriam defunctorum
conservamus, & illis, qui in domino obdormive-
runt, justa facimus. Nam pium & humanum est, ut eos,
qui supervivunt, & mortuos propiore sanguine vel affini-
tate attingunt, & obitum istorum vel immaturum, acer-
bè deflent, verbo Dei consolemur, & ut modum ac termi-
num luctui ponant, suaviter hortemur, & de voluntate
Domini, qui dedit, qui abstulit, cuius nomen semper be-
nictum sit, fideliter admoneamus, & non amisso illos,
sed præmissos esse, & ad eam vitam venisse, ad quam ipsi
quoque evocati, suos, qui ante migrarunt, quantò notio-
res, tantò utique chariores & sine timore ullius discessio-
nis amabiles habituri sint, verè testemur. Nec minùs
necessarium est hoc ipso de mortalitate & fragilitate nostrâ
nos invicem commonere, à flagitiis & vitiis affectibus
dehortari, & ad pietatem, humilitatem, patientiam, cha-

ritatem, veritatem, cæterasque virtutes milite Christiano dignas adhortari, ad mortis meditationem exuscitare, & ut Deo vocante & jubete pie hinc, migremus, mature prospicere, & illa armatura quæ Diabolum, Mortem, & peccatum conficit, pectus munire. Faciemus ergo id in præsens & pro moris Academicæ ratione hujus Viri boni, qui hoc ipsum nomen rariore sanè exemplo, omnium propè hujus Civitatis hominum conscientia ac verbis assecutus est, vitam, resque in eadem præclarè gestas breviter recensēbimus. Idem ipse D E U S, qui è media sacræ hujus militiae statione nuper evocavit hunc nostrum R I DEMANNUM, & triumphanti ascripsit Ecclesiæ, eidem Anno M DC X. die XIII. Maji hora VIII. matutinâ vitæ per generationem exordia concessit, in medio Ecclesiæ sinu, in Urbe Chiloniense in Holsatia, in familia honesta atque laudata satis. Patre Viro spectataz integritatis HINRICO RIDEMANNO mercatore & oenopolabibidem haud postremo, nec non sedecim viro ejusdem loci prudenti. Matre vero Matrona laudatissima omniq; sexus hujus virtute cumulata, ANNA DREYERS, per XXXIII. annos Viduum thorum premente, obitum hunc filii sui charissimi acerbissimè lugente, jamque LXXXV. ætatis annum agente. Avum Paternum habuit Virum præstantissimum HERMANNUM RIDEMANNUM, civem & mercatorem Osnabrugensem. Aviam paternam fœminam lectissimam ADELEÆ DREYERÆ. Avus Maternus fuit Vir honoratissimus PETRUS DREYER, Civis & Mercator Ecklenfordeensis in Holsatia, Dn. NICOLAI DREYERI, Civis ibidem Ecklenfordensis filius. Avia verò Materna MAGARETHA TAPEN/fæminei generis corona, NICOLAI TAPEN/Civis & Mercatoris Ecklenfordensis, nec non ABELIS AHRENS/Am-

Amplissimi & Prudentissimi Dn. GEORGII AREND^S
Consulis quondam Ecklenfordensis optimè meriti filiæ
filia. Hac ex laudatissima amicissimus noster prosapia
originem traxit. Quamvis autem pars felicitatis vitæ
humanae minimè postrema sit, & laus inter mortales mi-
nimè contemnenda, à laudatissimis majoribus familiam
deducere: Semper tamen recordari debemus solam ac
veram generositatem esse ipsam virtutem. *Et genus &*
Proavos & quæ non fecimus ipſi, vix ea nostra putanda esse,
nisi animi virtute ac innocentia majoribus nostris posteri
respondeamus. Quare etiam Parentes, postquam per
sacrum baptismatis fontem, filium Salvatori Christo in-
sericurassent, generosasque mentis bonæ scintillulas in-
eodem emicarē animadvertisserent, Plutarchi Consilium
sectantes, naturam bonā institutione excitandam & exer-
citatione perficiendam esse statuerūnt. Unde ab iis-
dem ad pietatis doctrinam, sabbathi sanctificationem, a-
liasque virtutes ab ipsis incunabulis sedulò assuefactus &
educatus est, & cùm eo atatis pervenisset, ut cùm fructu
literarum elementa percipere posset, non pecuniæ non
labori pepercérunt, sed eum tam publicæ Scholæ Chilo-
niensi quam privatæ Dn. M. Michaelis & M. Valentini Su-
mii, nec non Dn. Bartholdi Brumeri informationi com-
miserunt, sub quorum inspectione etiam fundamenta
prima, quæ ad florentis adolescentiæ captum requirun-
tur, fideliter jecit. Obruebant sub id tempus velut de-
cumanis fluctus Holsatiā totam bellici motus, itaque
parentum jussu Hafniā se contulit: Verum cum & ibi
propter metū belli subsistere diutiū nequiret, suadenti-
bus id quibusdam Viris præstantissimis, nec dissentiente
parente, Lubecam contendere constituit quamvis irrito
conatu: Vento siquidem in contrarium spirante, non
tan.

tantum omnes quotquot in navī erant, varias devorare
molestias sed & tandem cursum Chilonium versus dirige-
re coacti sunt. Appropinquabat Parentis hujus nostri
RIDEMANNI dies fatalis; dubius itaque hærebat, quid
faciendum, an porro libris invigilandum, an verò Oeno-
polium Dn. Parentis occupandum. Deliberatione hinc
inde institutā posterius quidem eligebat tum temporis, &
per annum & semissem fidelis Oenopolæ sustinebat vices,
ita tamen ut semper horis subcisisvis vel Plauti Comedias
vel alium aliquem autorem latinum legeret, & à Rectore
p. t. Scholæ Chiloniensis M. Joanne Vicostadio, nec non
Dn. Bartholdo Brumero Con-Rectore, explicationem
locorum difficiliorum peteret. Donec tandem prospic-
iente ita divino numine Anno M DC XXIX. Dn. Christi-
stanus Kircherus Mercator Colonensis Sororem ipsius
germanam MARGARETHAM jam Vīduam Excellentissimi
Dn. D. STEPHANI SCHULTETI, Professoris quon-
dam hujus Academiæ celeberrimi mæstissimam matrimo-
nio sibi jungeret, & cellam vinariam Chiloniensium oc-
cuparet. Relicta itaque Mercatura ad Musas reversus
sublimioresque salutare desiderans, gradatim procedens
Matris venia Pedagogium Hamburgense Anno M DC
XXIX. die XXIV. Sept adiit, & ibi sedulitatem suam Viro
Clarissimo ac Excellentissimo Dn. D. JUNGIO tunc tem-
poris Gymnasii Rectori vigilantissimo, aliisque Dominis
Professoribus celebratissimis, Vagetio, Ludemanno, Ar-
noldi &c. per duos circiter annos tam promptè tamq; fide-
liter approbavit, ut dignumilli censuerint Discipulū hunc
suum, quem non nisi honorificâ commendatione ornatū
à se ad alios transmitterent. Optandum certe esset, ut
omnes studiosi juvenes exemplum demortui nostri Dn.
Ridemanni sibi ob oculos ponerent, inque scholis infe-
rio-

rioribus tam diu commorarentur, donec fundamenta eruditio-
nis fideliter jecissent, & ea, quæ publica auditoria
obeunti necessaria sunt, consecuti essent. Verum con-
trarium eheu! experimur indies, dum pridem parentes li-
beros suos, ut primum *alpha, beta*, sonare didicerunt, pu-
blicos statim esse volunt: Ita ergo de Dn. Præceptorum
Consilio An M DC XXXI. mense Junio messis uberioris
colligendæ causa Regiomontanam salutavit Academiam,
& in eadem per totum fere quadriennium substituit, nec
per id tempus sestatu ignavum otium, luxum & libidi-
nes, ingenii & valetudinis pestes; sed temperantiam, pietatis
& doctrinæ nutriculam, atq; sic optatissimas merces à
Viris istius Academiæ celeberrimis publicitùs expositas,
non æris vi, sed mentis acie redemit. D. Behmum, Mislen-
tam, Tinctorium, Eislerum, Pochenium aliasque Profes-
sores avidissimâ discendi cupiditate audivit. Observata-
que in iis in penum scientiæ, auctiorem eam hinc facturus,
reposituit. Duas disputationes, alteram Metaphysicam de
Ente dependente & independente sub Præsidio Viri Ce-
leberrimi D. Abrahami Calovii, alteram vero Theologi-
co-Scholasticam de Animâ separata proprio marte elab-
oratam, Præside Viro Pl. Reverendo Dn. Levino Poche-
nio summo cum applausu habuit. Inprimis summo illū
complexus est amore celebratissimus Theologus D. Abra-
hamus Calovius tum temporis Phil. Magister, ita etiam ut
comitem sibi associaverit adeundi Marpurgensem Academiam.
Cum autem iter hocce propter Collegia tam
Theologica quam Philosophica usque ad Festum Michae-
lis differre cogerentur, placuit in nostro hoc Roseto
Balthico per hyemem subsistere, ibidemque Virum Ad-
modum Reverendum & Excellentissimum Dn. D. Johan-
nem Quistorpium, Seniorem Theologum docentem au-
dire.

dire. Excepit hosce duos comites hilari fronte Dn. Senior,
illisque de vietū & Musæo prospexit, autorque nostro pie
defuncto extitit, ut absolute cursu philosophico summos
ambiret in eadem Facultate honores, Quos etiam anno
M DC XXXV. die XIII. Octobris à Decano Facultatis M.
Petro Saffio obtinuit. Anno M DC XXXVII. cum Hol-
satia post Cladem Nortlingensem iterum hostili irruptio-
ne infestaretur, à Matre vocatus, obsequentem sese præ-
buit, & à Viro Excellentissimo Dn. Jacobo Fabricio, CHRI-
STIANI IV. Daniæ Regis glorioſiſimæ recordationis Ar-
chiatro in comitatum receptus patrios inviſit lares, & post-
quam domui maternæ proſpexiſſet, Confæderatarum
Provinciarum Belgicarum præcipuas Urbes & Academias
perlustravit, tandemque Coloniam Agrippinensem in-
gressus est Urbem, ubi Ecclesia Lutherana ibidem præſta-
pastoratus officium ipſi offerebat, quam tamen ſpartam
certas ob causas, diſſuadente etiam futuro Dn. Socero ſuo
D. Quistorpio, in ſe recipere recuſabat, atque ſic Mogun-
tiam ſe conferebat, inde Francofurtum ad Mœnum, Vor-
matiam, Spiram, Argentoratum petebat, Argentinæque
apud Dn. D. Conradū Danhavverum per tempus aliquod
commorabatur, præclaraque Iſtius Academiæ Lumina-
Theologica D. Schmidium, D. Dorscheum & jam nomina-
tum D. Danhavverum admirabatur. Lubens equidem
diutius ibi ſubſtituiſſet, niſi à D. Johanne Quistorpio Senio-
re. p. m. avocatorias accepifſet literas: Quare reliſta Ar-
gentina, Anno M DC XL. Marpurgum ſummo animi cum
prolubio ingressus est, ibique magni nominis Theologos
D. Feurbanum. D. Hannekenum, jam Superintenden-
tē Lubeckenſem gravifſimū. D. Schuppium &c. ſalutavit.
Atque ſic per Hassiam, Westphaliā, Ducatū Brunsvicen-
ſem & Luneburgensem, tandem peregrinationibus defun-
ctus

Etus felici sidere ad hanc nostram urbem redit, præsentemq; hic affinem
suum Dn. D. Thomam Lindemannum Pastorem Ecclesiae Theu onicæ
Hafniensis quondam vigilantissimum cum uxore invenit, qui lubentissime
illum in Dania promotum vidisset. Verum ille singulari erga hanc civita-
tem flagrans amore, tandem etiam DEO id clementer ita disponente ob-
tinuit ut Anno M DC XLI die XIV Augusti in Diaconum templi Marianii
electus sit. Eodem anno die XIII. Octobr. in matrimonium duxit virgi-
nem pudicissimam BARBARAM Dn. D. JOHANNIS QUISTORPII fe-
nioris, Professoris hujus universitatis celeberrimi filiam, cum qua integras
ferè XIX. annos placidissimum concors & fœcundum transegit conjugium.
Sustulit enim XI. Charissima & gratissima amoris Conjugalis pignora, tres
scilicet filias, & Octo filios. BARBARA Dn. M. Simoni Taddelio, Pa-
stori Ecclesiæ Lutheranæ apud Hornanos in Frisia nuper nuptum datum.
ANNAM H. JOHANNEMI. HENRICUM. NICOLAUM I. STEPHANUM.
NICOLAUM II CHRISTIANUM. PETRUM & JOHAN-
NEM II. Ex quibus tres filii Johannes Ridemannus I. Nicolaus & Stephanus,
unaque filia ANNA I. præmatura scilicet reselectæ parentes in coelestem
patram præeundo, turbato naturæ ordine, anteverterunt. Reliqui super-
stites charissimi patris discessum præmaturum tenerrimè deflent. Anno
M DC LX. die XXIX Junii Uxor ipsius charissima BARBARA inter
ipsos difficillimos partus labores & dolores antequam, eniteretur animam,
Creatori suo reddidit, mœstissimum Viduum in hac calamitatum scena re-
liquit: qui Conjugem optatissimam, non vestitu tantum lugubri, sed cor-
de verè dolente planxit; Et quidem reliquum quod supererat vitæ, viduus
transigere decreverat, nisi DEO vero connubiorum proxinetæ aliter vi-
sum fuisset. Is enim elaplo luctus tempore aliam ipsi thori sociam con-
ciliavit, & Virginem lectissimam MARGARETHAM CATHARINAM
Sandhagens/ Viri Reverendi Pl. & Clarissimi Dn. M. REMBERTI Sand-
hagen/ Archidiaconi Nicolaitani Vigilantissimi filiam, ei hoc ipso anno die
IV. Februarii optatissimo Matrimonio junxit. Dignum certe par jugale
fuit, quod æternum viveret, si per naturam licuisset. Verum cheu dul-
cissimum hoc vitæ & amoris vinculum vix per septem septimanas duravit,
& cum firmissimum appareret, subito disruptum concidit. Septimam
conjugii septimanam vix ingressus paræ invidiam experiri, & febri ardentí
corripi cepit, quæ licet initio minus periculosa videretur, subito tamen à
spretis omnibus ab utroque Medico adhibitis Medicamentis vires absum-
psit;

psit; Unde cum corporis longuoren*t* augeri persentisceret, anima velut
partis nobilioris curam imprimis habendam censuit, accitoque viro Ad-
modum Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo, Dn. CASPARO
MAURITIO, SS.Th. D. Prof. & Superintendentē gravissimo, Fautore ac
Collega nostro honoratissimo, anima ægritudinem detexit, panacæamq;
cœlestem sibi applicari petiit. Idque obtinuit, & animam vero Corpore
& Sanguine Christi pastam optimo Viatico ad iter hoc ex terrestri erga-
stulo in cœlestem patriam ineundum instruxit, & eam eodem die XXV.
scilicet Martii circa octavam vespertinam, corde gemens, ore precans pla-
cidè obdormiens, Creatori suo reddidit: Sui verò desiderium non apud
Viduam mœstissimam tantum sed & totam familiam, immo omnes bonos
præprimis Matrem senio jam confectam reliquit. Quantus vero hic ad
Viduam, liberos, Matrem, Fratrem, Sorores atque Affines mœror redundarit,
nec vox exprimere, nec calamus describere potis est. Vulner certe
hoc adeo grave & periculorum est, ut ei sanando, nec Phœbus nec Esculapius sufficiant.
Sed solus cœlestis Medicus Viduarum & Orphanorum
Pater amuletum verum adhibere novit; idque invocatus paternè & grati-
osè impertit. Cum vero piè defunctus Verbi divini per XXI. annos
Minister fidelis, Vir reverè bonus, de quo plura dicenda essent, si tempus
pateretur, omnium amore & decenti honore dignissimus jure merito-
que habeatur, & funebri deductioni hodiernus dies dictus sit, Ideo o-
mnes Academicæ jurisdictioni subjectos cives monitos & rogatos velim,
ut hora i. in æde Mariana frequentes coveniant, exequias funebres cohon-
testent, & condolentiam suam erga Viduam tristissimam & Familiam
honoratissimam testentur, & finis ac fragilitatis suæ piè recordentur.

P.P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus. Die IV. Apri-
lis Anno M DC LXII.



GK



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77577507X/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77577507X/phys_0020)



Amplissimi & Prudentissimi Dn. GEORGII
Consulis quondam Ecklenfordensis optimus
filia. Hac ex laudatissima amicissimus no-
originem traxit. Quamvis autem pars fe-
humanæ minimè postrema sit, & laus inter-
nimè contemnenda, à laudatissimis majori
deducere: Semper tamen recordari debe-
veram generositatem esse ipsam virtutem.
Pro avos & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra
nisi animi virtute ac innocentia majoribus
respondeantur. Quare etiam Parentes,
sacrum baptismatis fontem, filium Salvato-
seri curassent, generosasque mentis bona
eodem emicare animadvertiserent, Plutarc
sectantes, naturam bona institutione excita-
citatione perficiendam esse statuerunt.
dem ad pietatis doctrinam, sabbathi sancti
liasque virtutes ab ipsis incunabulis sedul
educatus est, & cum eo ætatis pervenisset
literarum elementa percipere posset, no
labori pepercérunt, sed eum tam publicæ
niensi quam privatae Dn. M. Michaelis & N
mii, nec non Dn. Bartholdi Brumeri info
miserunt, sub quorum inspectione etiam
prima, quæ ad florentis adolescentia cap
tur, fideliter jecit. Obruebant sub id te
cumani fluctus Holsatiā totam bellici
parentum jussu Hafniā se contulit: Ve
propter metū belli subsistere diutiū neq
bus id quibusdam Viris præstantissimis,
parente, Lubecam contendere constituit
conatu: Vento siquidem in contrarium



the scale towards document